



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

Vtrum liceat bellantibus vti insidijs. cap. xliii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

moua guerra, sed continuari prima, Ang. in l. si vnus, §. j. de pactis. Princeps, qui concessit castrum in feudum, potest ponere custodes in dicto castro timore guerra, domino castri inuito, l. si vt legatum, §. dominus, ff. de vsu, & habita. vide Ang. in authen. nunc si hæres, C. de litigiosis. Propter delictum populi, vel principis negligentis facere iustitiam potest indici bellum contra totam ciuitatem, & subditos dicti principis, vbi aliud haberi non potest. Bald. in tractatu repræsalium, primo folio. Agentes bellum sine diffidatione dicuntur proditoriè agere, secundum Bald. in c. j. quib. mod. feu. amit. Vadens ad bellum proprio motu, non conductus, vel vocatus à principe animo obligandi illum, cuius negotia gessit, agit actione negotiorum gestorum ad equos, & arma deperditos in bello, l. sed vltro, & l. fin. ff. de neg. gest. & vide not. in c. sicut, il. ij. de iur. iuran. Morientes in bello iusto pro defensione ecclesiæ & fidei, consequuntur cœleste regnum, c. si in morte, xxij. q. viij. & c. omnium, xxij. q. v. vbi duo text. boni, & nota pro euntibus ad bellum contra infideles. Si in bello iusto comburantur, vel destruantur segetes, vel vineæ, non tenetur comburens ecclesiæ ad decimam, Ioan. Andrian. c. commissum, de decimis; quod est singulare propter conscientiam. Miles, etiam vulneratus, non debet discedere à signis sine licentia, per text. & ibi Ange. in l. j. C. quibus obs. long. temp. præscrip. Capitaneus faciens saluum conductum ad eundem, dicitur & concedere ad redeundum, secundum Bar. in l. vltimur, ff. de sepul. vto.

VTRVM LICEAT BELLANTIBVS

vti insidijs. Cap. XLIII.

SVMMARIVM.

- 1 Vtrum liceat bellantibus vti insidijs.
- 2 In bello licito an liceat in diebus festiuis bellare. & num. 3.
- 4 Necessitate urgente etiam in diebus quadragesimalibus licet bellum inire.



Et ¶ vtrum liceat bellantibus vti in fidijs, di-
co, quod cum bellum iustum suscipitur, ni-
hil ad iustitiam interest, vtrum aperte pug-
net aliquis, an ex in fidijs; & hoc probatur
authoritate Domini, qui mandauit Iosue, vt
in fidijs poneret habitatoribus ciuitatis Hay, vt habetur
Iosue c. viij. Dupliciter autem aliquis potest falli, ex facto,
vel ex dicto alterius: vno modo ex eo, quod ei dicitur fal-
sum, vel non seruatur promissum; & istud semper est illi-
citur, & hoc modo nullus debet hostes fallere: quia fi-
des etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur,
c. noli, xxij. q. j. & Barto. in l. j. ff. ad leg. Iul. maiesla. vbi lo-
quitur etiam late de securitate data. Etenim sunt quedam
iura bellorum, & fcedera etiam inter ipsos hostes seruan-
da, vide Ambro. in libro de offic. Alio modo aliquis potest
falli ex dicto, vel facto nostro, quia ei propositum, aut in-
tellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non
tenemur: quia etiam in doctrina sacra multa sunt occul-
tanda, maxime infidelibus, ne irrideant, secundum illud
Matth. vij. Nolite sanctum dare canibus. Vnde multo ma-
gis ea, que ad oppugnandum inimicos paramus, sunt eis
occultanda. vnde inter cetera documenta rei militaris
hoc precipue ponitur de occultandis consilijs, ne ad ho-
stes perueniant, & talis occultatio pertinet ad rationem
in fidiarum, quibus licitum est vti in bellis iustis, neque ius-
titie repugnant, & legitur in c. dominus noster, xxij. q.
ij. Cum autem iustum bellum suscepit, vtrum aperte pug-
net, an ex in fidijs, nihil ad iustitiam interest, & vide text.
in c. vtilem, xxij. q. ij. & l. nihil interest, ff. de capti. & post.
reuer. ¶ Et in bello licito licitum est in diebus festiuis bel-
lare, qui legitur in primo libro Machab. c. ij. Cogitauerunt
laudabiliter Iudei, dicentes: Omnis homo quicumque ve-
nerit ad nos in bello, in die sabbatorum pugnemus aduersus
eum, quia obseruatio festorum non impedit ea, que
ordinantur ad hominis salutem etiam corporalem. Vnde
Dominus arguit Iudeos dicens Ioan. vij. Mihi indigna-
mini, quia totum hominem saluum feci in sabbato. Inde
est, quod medici licite possunt medicare homines in die
festis;

B b

festis;

festo; multo autem magis est obseruanda salus Reipubli-
 ca, per quam impediuntur occasiones plurimorum, & in-
 3 numerata mala temporalia, & spiritualia, quam salus corpo-
 ris vnius hominis. † Et ideo pro tuitione Reipublica si-
 delium licitum est iusta bella exercere in diebus festiuis;
 si tamen hoc necessitas exposcat: hoc enim esset tentare
 Deum, si quis imminente tali necessitate à bello desiste-
 ret. Sed necessitate cessante non est licitum bellare in die-
 bus festiuis propter rationes inductas. Et Hostien. & lo-
 an. Andr. in c. j. de tregua, & pace dicunt: Die Iouis non
 est bellandum propter ascensionem Domini in cælum;
 neque die Veneris propter reuerentiam passionis; neque
 die Sabbati, quia in eo die discipuli latuerunt propter mor-
 tum Iudæorum, & corpus Christi latuit in sepulchro; ne-
 que Dominica propter honorem resurrectionis: quod le-
 mitatur per ea, quæ superius dixi, nisi causa necessitatis su-
 perueniente, & est tex. in c. si nulla, xxij. q. viij. vbi dicitur:
 Si nulla vrget necessitas, non solum Quadragesimalitem-
 pore, sed etiam omni tempore est à præliis abstinendum;
 4 † sed necessitate instante etiam in Quadragesimalibus die-
 bus bellum inire licet: quia necessitas Legi non subiacet,
 vt in c. h. quis propter necessitatem, de furtis, & c. discipu-
 los, cum simi. de consecr. distinct. v. et in l. pen. ff. de feriis,
 dicitur, quod militaris disciplina potest die feriata fieri. Et
 in actu militari debet miles præcedere Doctorem, sed in
 actu doctoreo indifferenti Doctor debet præcedere milite-
 rem; quia regens est nobilius recto. l. iubemus, in fine,
 C. de Episco. & cleri. sed leges regunt ministerium mili-
 tare, l. leges, C. de legi. & vide Marti. in tractatu de Dig-
 nitate, in vj. volum. fol. 69.

DE REVOCATIONE BELL.

Cap. XLIIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Vtrum habens iustum bellum teneatur à bello desistere, cum ab
 hoste in quo offeratur satisfactio.
- 2 Belli finis est pax, & vniuersa tranquillitas.

3 He